



50 R.

DE

46

CRITERIIS QVIBVSDAM
S V S P E C T I S

IN

REPERIVNDIS PROPHEIIS MESSIANIS

DISSERTATIO THEOLOGICA

I N S T I T V T A

A

M. ELIA FRIDERICO POEGE

ECCLESIASTE TORGAVIENSE AD AEDEM PAROCHIAL.

T O R G A V I A E,

PRELO FRIDERICI SAM. RVIDELII.

DE

CRITERIIS QUIBUSDAM
SYMPLECTIS

REPERIENDIS PROPHETIS MESSIANIS

DISSERTATIO THEOLOGICA

M. HALL FRIDERICO BOGGE
PUBLIUM THEOLOGUM AD ALBUM LINGVÆ

TOBOLIÆ
1777



VIRO MAGNIFICO
AC SVMME VENERABILI
CAROLOCHRISTIANO
TITTMANNO

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI CELEBERRIMO,
IN ACADEMIA VITEBERGENS. THEOLOGIAE PROFESSORI
PVBLICO ORDINARIO, FACVLTATIS THEOL. SENIORI
SENATVS ECCLESIASTICI VITEBERG. ASSESSORI
ET ALVMNORVM ELECTORALIVM EPHORO

MVNVS PASTORIS PRIMARII AD AEDEM
P A R O C H I A L.

ET SCHOL. INSPECTORIS, NEC NON DIOECESEOS
VITEBERG. ET TOTIVS CIRCVLI SAXONICI
ELECTORALIS GENERALIS SVPERINTENDENTIS

GRATVLATVR

ELIAS FRIDERICVS POEGE.

VIRO MAGNIFICO

AC SVMMÆ VENERABILIT

CAROLO CHRISTIANO

TITTMANN

S. S. THEOLOGICAE DOCTORI CELEBRISSIMO
IN ACADEMIA VITTEBERGENSIS THEOLOGICAE PROFESSORI
PVBLCO ORDINARIO FACULTATIS THEOL. SENIORI
SENATVS BOCHIIANICI VITTEBERG. ASSessori
ET ALUMNORVM LICETORIALIVM EPORO

MANVS PASTORIS PRIMARIJ AD VEDM

P A R O C H I A L I

ET SCHOL. INSPECTORI, NEC MN IN DIOCESE
VITTEBERG. ET TOTIVS CIRCVLLI SAXONICE
ALEXATORALIS GENERALIS SUPERINTENDENTE

EXCELENTISSIMO

ELIAS TRUBNERVS POCHE



VIR MAGNIFICÉ,
SVMME VENERABILIS,
PATRONE OMNI PIETATE COLENDE.



Tantis mihi singularis benevolentiae TVAE
speciminibus ornato, vt gratum ani-
mum, cuius impetum aegre adhuc retinui, TIBI
declarandi occasionem maximo iam dudum de-

fiderio efflagitarim, quid gratius, quid iucundius
accidere potuisset nuncio, qui de munere gravif-
simo Superintendentis Generalis totius Circuli
Saxonici clementer TIBI mandato certio-
rem me faceret? Quo igitur allato statim apud ani-
mum meum constitui, hac qualicunque differta-
tiuncula, meae in TE pietatis tessera, honores il-
los TIBI gratulari. Quod scriptum, quamquam
omni fere dicendi elegantia ac doctrinae laudi-
bus destitutum, ideoque PERSONA TVA non
fatis dignum, non tamen veritus sum oculis TVIS,
acerrimoque iudicio TVO subiicere, quod, TE
more ipsius divini numinis, animum magis offe-
rentis, quam munusculum spectare, non ignora-

bam.

bam. Boni ergo confulas, **VIR MAGNIFI-**
CE, quod offero parvum quidem munusculum,
sed ab magno pectoris ardore profectum. Ego
vero **DEVM T. O. M.** enixis precibus implo-
rare non intermittam, vt novos splendidissimi mu-
neris honores faustissimos **TIBI**, nec non Aca-
demiae Vitebergensi totique Ecclesiae Christia-
nae auspiciatissimos esse iubeat, animi aequae ac
corporis virium integritate **TE** beet, omnique
prosperitatis genere **TE** cumulet, florentissimis-
que rebus quam diutissime conseruet. Ceterum
me **TIBI** commendatissimum habeas, **TIBI**que
persuadeas velim, me omnem meum laborem,
omnem operam, curam, studium in eo collocatu-
rum,

rum, vt non ingratum benevolentia TUA TE
dignatum esse cognofcas.

VIR MAGNIFICE

NOMINIS TVI

Scripti *Torgaviae,*

Nonis Januarij,


MDCCLXXXIII.

deditiffimus cultor

ELIAS FRIDERICVS POEGE,



DE
CRITERIIS QUIBUSDAM SUSPECTIS
IN
REPERIUNDIS PROPHETIIS MESSIANIS,

 Placuit gratiae divinae hominibus lapsis, et de felicitate sua non parum sollicitis, restauratorem amissae salutis promittere, ad animos eorum, cum vitae molestiis premerentur, tranquillandos, nec non spem, fidem, pietatemque excitandam, alendam, atque confirmandam. In quo quidem consilio, de recuperanda hominum

B

feli.

felicitate per Messiam, eam tenuit rationem, ut eos ad hanc cognitionem salutarem per varios gradus duceret, et, quae primo intuitu non satis clara videbantur, sensim sensimque maiori luce collustraret. Quae promissa atque vaticinia de Messia venturo, non tantum ad Iudaeos, sed ad omnes omnino homines spectantia, eo diligentius sunt investiganda, quo magis eorum accuratiori cognitione ac eventu, christianae religionis veritas, nec non animi nostri tranquillitas nititur. Sed hac in re magna cautio et circumspectio est adhibenda, ne in quibusdam sacrae scripturae locis vaticinia de Christo nobis reperire videamur, in quibus diligentiori facta disquisitione, rem secus se habere deprehendimus. In quod vitium multos christianorum doctores, aut nullis scripturam sacram interpretandi praefidiis munitos, aut pio consilio ductos, olim iam incidisse, et adhuc incidere videmus. Ne idem nobis accidat, imprimis caveamus necesse est, ne in diiudicandis prophetiis Messianis, suspectis criteriis a recta via nos abduci patiamur.

Forſitan operae pretium erit in hac diſſertatiuncula, pro virium mearum tenuitate indicare ac breviter examinare quaedam

dam ex his criteriis suspectis, quae iis occurrere solent, qui in
conquirendis prophetiis de Christo laborant.

Nullus profecto, virorum eruditorum, qui accuratae in-
terpretationis aliquam laudem consecuti sunt, in dubitationem
vocare audebit, auctoritatem veterum ecclesiae doctorum, alias
valde egregiorum atque insignium, in diiudicandis prophetiis
Messianis saepius esse suspectam. Etenim multi eorum magis
pie ac ingeniose quam vere accurateque oracula divina inter-
pretati sunt, et sensum litteralem in allegoricum, tropicum ve-
ro in proprium variis versandi ac torquendi modis perperam
transmutarunt. Qua interpretatione scripta prophetica expli-
candi potissimum usi sunt ORIGENES, vir litterarum sacrarum
ceteroqui peritissimus: EVSEBIUS CAESARIENSIS, qui in
Commentariis in Psalmis et Esaiam, Origenianam rationem
allegorice interpretandi maxime adamabat: ATHANASIVS, qui
v. c. in *Psalm. I. v. 1.* in verbis *impiorum, peccatorum, et irri-
forum*, lepide satis, intellexit *Scribas, Phariseos, et Legis docto-
res* tempore Christi viventes: HILARIUS *Pictaviensis* contem-
dens, omnia in Psalmis esse prophetica: AMBROSIVS: HIERO-
NYMVS: CYRILLVS *Alexandrinus*, qui sibi persuadebat totum

Verus Testamentum esse figuram Christi et Novi Testamenti, quod iusta limitatione quidem verum est, sed univérse dictum, in interpretando lubricam habet ambiguitatem. De his aliisve videri potest insignis olim Germaniae praeceptoris S. V. ERNESTI *Narrat. critic. de interpret. prophet. Messian. in eccl. christ. in Opuscul. Theol. p. 497.* Plerique eorum, supra laudatorum, aut linguarum rudes, aut in vera interpretandi arte non satis versati, aut cupiditate numerum prophetiarum augendi, quo facilius fortiusque Judaicos adversarios convincerent, abrepti, vaticinia et signa venturi Messiae quotquot reperire poterant, anxie corraferunt, parum solliciti, Messiasne in istis scripturae locis vere annunciaretur et adumbraretur.

Satis igitur liquet, in recte diiudicandis de Messia prophetiis, e doctorum antiquitatis christianaee sententia argumentum satis tutum peti nullo modo posse.

Sed progredior ad alterum *κεκτήσιον* suspectum scilicet ad titulum fronti Psalmorum appositum, quem interpretes in eruenda prophetia Messiana saepius temere praedicarunt. Audiamus **HIERONYMUM** in *Prooemio Commentario Psalmorum* praefixo

„*Quam-*

Quamvis David, inquit, omnes Psalmos cantasset, tamen omnes Psalmi in personam Christi pertinent, et qui praetitulati esse non videntur, apud Hebraeos pro uno Psalmo habentur, nam per titulum intelligitur uniuscuiusque Psalmi intellectus. Quid est titulus nisi clavis? in domum non ingredior, nisi per clavem: ita et unius cuiusque Psalmi intellectus per clavem, hoc est, per titulum intelligitur, in cuius persona cantatur, aut in persona Christi, aut in persona ecclesiae, aut in persona Prophetarum. Pari modo sentit AUGUSTINUS in Enarrat. in Psalm. LVIII Tom. VIII Opp. Solet scriptura, sunt verba Augustini, Psalmorum mysteria in titulis ponere, et frontem Psalmi sublimitate sacramenti decorare, ut sciamus, qui intraturi sumus, cum super possem, quid intrus agatur, legimus, vel cuius domus sit, vel quisnam sit illius praedii possessor. Quamquam hi duumviri et cum iis GREGORIUS Nyssenus in lib. *κει τῶν ἐπιγραφῶν τῶν ψαλμῶν*: THOM. GATAKERUS in Comment. in Psalm. CHRISTOPH. SONTAGIVS in Comment. de Titulis Psalm. et J. G. CARPZOVIVS in Introd. ad lib. Bibl. V. T. inscriptiones Psalmis praefixas mirum in modum extollunt;

attamen non defunt alii viri, et quidem eruditi, et in explicandis oraculis divinis multum versati, qui ingenue fatentur, parum utilitatis atque certitudinis exinde percipi posse, suamque sententiam his potissimum argumentis confirmant: *Primum* anceps esse, utrum inscriptiones ab ipso auctore, an, ut verifimilius esset, ab alio, seriori demum actate, appositae fuerint. *Deinde*, carmina reperiri in quibus res decantata ab ea quae in titulo innueretur, longe discreparet. *Denique*, Psalmos de Messia explicatos aut nullam inscriptionem gerere, aut non ita perspicuam ut ad argumenti cognitionem facere posset. Sic. v. c. *Psalm. XXII* inscribitur: של-אלהת השמר. Quae inscriptio sane opscura et intellectu admodum difficilis est, unde etiam accidit, ut interpretes doctissimi valde in sensu eius haerent, rei que obscuritate vexarentur. Qualem igitur, bone Hieronymi, iste titulus clavem aptam suppeditat, cuius ope ad intellectum huius Psalmi pervenire possis?

Quae cum ita sint facile intelligitur, eos, qui minus circumspicte in titulis Psalmorum haerere consueverint, in diu-

dican-

dicandis prophetiis, non multum ab erroris periculo abesse, et
 saepissime pro Junone nubem, pro vero falsum amplecti.

Anne vero res aut persona illustris V. T. quae cum perso-
 na et fatis Christi similitudinem quandam habet, pro vaticinio
 et quidem reali (typo) de Messia commode haberi potest?
 Etsi multi veterum et recentiorum Theologorum in iudicio de
 vaticiniis Messianis ferendo, hoc criterio usi sunt, et inde nume-
 rum prophetiarum valde auxerunt, tamen eis omnino assentiri
 non possum. Lubentissime quidem concedo Messiam per va-
 rias imagines et figuras rerum et hominum adumbratum quasi
 et praefiguratum esse; sed quales istae sint, ex interpretatione
 scriptorum sacrorum potissimum N. T. colligere debemus. Sic
 figuram Christi habuerunt *Melchisedecus Ps. CX, 4. Ebr. V.*
VI. VII. Davides et Salomo Es. LV, 3. Jonas Matth. XII, 40.
Agnus paschalis 1. Cor. V, 7. Job. XIX, 36. coll. Exod. XII, 46.
 Et *totus cultus Leviticus*, ut apparet ex epistola ad Ebraeos.
 An vero omnes res ac personae quibus similitudo quaedam
 cum Christo intercedit, de quibus vero in libris N. T. nulla
 fit

fit mentio, pro vaticinio reali haberi possint, affirmare vix a-
 sum. Hac enim ratione earum interpretatio magis libidini in-
 geniorum luxuriantium, quam firmis argumentis, indiçiiisque
 divinis relicta esset. Atque ita numerus vaticiniorum pro lu-
 bitu supra modum augetur, quoniam multa in litteris sacris
 prolata, ita se habent, vt facile ob speciem similitudinis ad
 Christum referri possint, quae tamen pro temporis, nexus ora-
 tionis, nec non historiae ratione nullo modo ad eum spectant.
 Vbi quaeso, v. c. in N. T. legitur *Abelem, Noachum, Isaacum,**
Arietem ab Abrahamo *immolatum, Josephum, Samsonen, Ser-*
*pentem aeneum*** Christum expressisse? Ne verbulo quidem le-
 gati

* *Isaacus* non commode potest esse typus Christi. Nam nusquam in S. S. ty-
 pus Christi esse dicitur. Praeterea Christus vere mortuus est, et ex mor-
 tuis suscitatus. At Isaacus neque mortuus est, neque in vitam revocatus.

** *Serpens aeneus* Joh. III, 14. figuram Christi habere mihi secus vide-
 tur. Jesus potius alludit ad istam historiam V. T. de serpente, vt do-
 ceret, omnes homines *codem modo* per sacrificium suum in cruce ob-
 latum, servatum iri, quo olim Israelitae, serpentem aeneum intuentes
 sanati fuerunt, et morti erepti, scilicet, propter *fiduciam* in Dei pro-
 missione positam. Illustravit Jesus hoc exemplo modum tenendae
 salutis, morte sua partae. Et qua, demum, Israelitae scire et cognos-
 cere potuerunt serpentem istum publice suspensum esse figuram, et
 signum Messiae in crucem olim acti? Ergo in loco Joh. accommoda-
 tionem esse, persuasum mihi habeo.

gati divini eos hac mente retigerunt. Et tamen *Huetius*, alias vir doctus, eos ingeniose pro typis Christi venditavit. vid. ej. *Demonstrat. Evangel. Cap. CLXX.* p. 1145. Pari modo alii interpretes quicquid in litteris sacris de magno aliquo ac praeclaro viro, saepius dictione magnifica Prophetis usitata, scriptum inveniunt, de Christo dictum esse sibi persuadent, quamquam maiori iure de rege quodam, aut de vate divino, aut de alio viro virtutibus ac rebus praeclare gestis insigni, historia duce, explicari debeat. Quod vitium reprehendit s. v. *DOEDERLEIN* in libro egregio qui prodiit sub titulo: *Institutio Theologi Christiani, in capitibus relig. theoret. nostris temporibus accommodata,* P. I. p. 177. *Edit. noviss.*

Denique silentio praeterire non possum verba e scriptis prophetiis in N. T. allegata, imo formulam loquendi ab Apostolis saepius adhibitam ἡμεῖς, ὁπώρα, τότε ἐπληρώθη τὸ ρηθὲν non semper certum firmumque indicium prophetiae Messianae praebere. Ego quidem eorum sententiam probare non possum, qui contendunt, omnes allegationes oraculorum divinatorum in

N. T. esse meras accommodationes, ac Jesum eiusque discipulos sermonem suum praeiudicatis opinionibus Judaeorum aptasse. Quod sane legato divino, qui veritatem docere debet indignum et a verbis Christi *Luc. XXIV, 44. 45.* longe alienum esset. Attamen in promptu est, varios locos e V. T. in Novum Testamentum esse receptos ad orationem illustrandam atque ornandam. Exemplis quibusdam, ea quae dixi illustrabo. Sic v. c. *Mattbaeus* allegat verba *Hof. XI, 1.* וַיִּמְצָא מַטְבַּח לְבָנֵי יִשְׂרָאֵל
 Propheta dubio procul loquitur de exitu Israelitarum ex Aegypto, duce Mose, *Mattbaeus* vero *Cap. II, 15.* his verbis non ut vaticinio de Christo, sed accommodandi causa utitur. Ἰνα πληρωθῆ τὸ ἑηθέν ὑπὸ τοῦ κυρίου διὰ τοῦ προφήτου, λέγοντος. Ἐξ Ἀργύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου. Quasi dicat: Ac tum illud recte dici potuit, quod ab Hofea de Israele usurpatur: Idem Dei amor, qui eum impulit, ut Judaeos ex servitute Aegyptiaca in libertatem vindicaret, effecit etiam, ut Christum in Aegypto non relinqueret, sed ad suos, quibus doctrinam coelestem traditurus esset, reduceret. Quae accommodatio admodum elegans est, quoniam

niam

niam populus Israelis magnifico nomine Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ insigniri olim solebat. Quare facillime in mentem venire potuit effatum Hofeae scriptori sacro, reditum veri Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ J. C. ex Aegypto, propter rei similitudinem, describenti. Sic eodem capite v. 17. 18. illam funestam atque luctuosam parvulorum Bethlehemiticorum cladem exprimens verbis prophetae Jeremiae קול בְּרָמָה נִשְׁמָע נְהוּ בְּכִי הַמְרוּרִים רָחֵל מִבְּכָה עַל-בְּנֵיהָ בְּנֵיהָ בִּיאֵי-נָכְוִי In allegatione horum verborum utitur formula τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Ἰερεμίου τοῦ προφήτου. *Jeremiae* vero *Cap. XXXI, 15.* evolventi, ne vestigium quidem istius calamitosae puerorum caedis occurrit. Vates potius verba facit de captivitate Babylonica decem tribuum et de reditu e terra hostili, vt apparet ex antecedentibus et consequentibus. Evangelista e contrario sermonem instituit de caede puerorum non Ramae sed Bethlehemae facta. Non video igitur quomodo verba prophetae vaticinium istius tragoediae esse possint, quum nec res, nec personae, de quibus loquitur, sint eadem, nec locus nec denique eventus sibi invicem respondeant. Promittit enim propheta Raheli restitutionem filiorum, quae non facta est matribus Bethlehemiticis. Ex his allatis se-

quitur, verba ab historiae Christi scriptore allegata neququam esse vaticinium, sed tantum accommodationem, qua nihil aliud exprimere vult, quam hoc: Tum vere illud dici potuit: Clamor Bethlehemae, quae re vera facta est Rama, auditur, luctus et fletus acerbissimus: matres suos natos deplorant, nec consolationi locum relinquunt, quoniam actum est de illis. De quo loco conferri meretur S. V. DATHII, viri Criticae Sacrae peritissimi, *Versio latina Prophet. Maj.* erudita atque elegantissima p. 331.

Sed ob plagellarum angustias disquisitioni meae finem impono, spe fretus, neminem fore, qui putet, ea quae hic a me in medium prolata, seu potius delibata sunt, religioni ullo modo obsutura, non enim exhauritur observationibus qualibuscunque meis prophetiarum Messianarum penus, sed modo minuitur, et ambiguitate, quibus nonnullae earum laborant, purgatur. Verum oportetne prophetias necessario multas esse? *Nuspian*, sunt verba b. ERNESTI l. c. *nuspian numerantur argumenta sed ponderantur.*





94 A 7368

ULB Halle


3

002 928 582



94 A





DE
CRITERIIS QVIBVSDAM
S V S P E C T I S

IN
REPERIVNDIS PROPHEIIS MESSIANIS

DISSERTATIO THEOLOGICA

INSTITVTA

A
M. ELIA FRIDERICO POEGE
ECCLESIASTE TORGAVIENSE AD AEDEM PAROCHIAL.

TORGAVIAE,
PRELO FRIDERICI SAM. RVIDELII.

